Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26564
Copyright: Admont, Benediktinerstift

54

saluentur. aut ad probationem sicut in iob et ioseph. ut alius quidem fortitudinis. alius autem sobrietatis tituli appareant. aut ad disciplinam spiritalem ut in apostolo. ut humile sapiens excellentiam custodiat gratie. aut secundum aduersionem sicut in iudeis. ut dum suppliciis afficiuntur ad penitentiam flectantur. Salutares autem omnis modi existunt. et diuina benignitate et sapientia repleti.

Soli diligentes mandatorum custodes et precordiales diuinorum iudiciorum secretales. eos qui secundum concessionem dei temptantur non derelinquunt amicos. Contemptores autem et diuinorum mandatorum et iudiciorum secretis non admissi. quando amicus quidem prosperatur perfruuntur eo. quod si temptatus male patitur. derelinquunt eum. Sunt autem qui et cum aduersariis stant.

Amici christi omnes quidem diligunt precordialiter. non autem ab omnibus diliguntur. amici uero mundi neque omnes diligunt. neque ab omnibus diliguntur. Sed hi quidem qui sunt christi usque in finem continuitatem caritatis obseruant. qui uero sunt mundi quousque inuicem per mundum collidantur.